Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 223
Quelle:
Copyright:

ſten, in *Cantica*, et *Sapientiam*, prout hae Expoſitiones leguntur T. III. *Poſtillarum* ſaepe jam memorati *Hugonis a S. Caro* ex Ord. Praed. Cardinalis *Lugd.* 1645. f. Ad calcem addidit Librarius: *Vlricus Planck pedellus theologorum finiuit hunc librum ſcriptum ſuis manibus proprijs Sub Anno domini Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo quinto.* Puta ſolum Librum in *Sapientiam*; anteriora enim non ab una manu ſunt, et, quae in *Cantica*, ab elegantiore quidem.

Ad *Codicem* utrinque conveſtiendum miro conſilio *Haſelbachius* membrana per medium ſecta adhiberi juſſit Literas a Concilio *Baſileenſi a. 1442. VII. Id. April.* ad ſe datas, quibus ei commendabat *Bartholomaeum* Ep. *Cornetanum*, *Nicolaum Amici* et *Johannem Keck* Theologiae Magiſtros *Felicis* V. et ſuos Oratores ad *Fridericum* III. Imp. ut eorum dictis fidem habeat, et cauſſae apud Principem patrocinetur, *ſicuti magiſtrum Theologie decet*, quo loco τὸ *magiſtrum Theologie* reſcriptum eſt, deleta compellatione primitiva, quae fortaſſis infra dignitatem Noſtri erat. Nihil de hoc negotio vel in Vita illius P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 138. vel in *Conſpectu Hiſt. Univ.* ad h. a.

CXLIX.

U. 133 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 131. f. luculente et pereleganter exaratus, rubricis, iconiſmisque linearibus ornatus hanc in anteriore theca notam praefert: *Hunc librum legauit felicis recordationis honorabilis vir dominus philippus altariſta ad celiportam* (Virginum quondam Canon. Reg. S. Aug. Collegium) *pro libraria Collegii ducalis.* Continet autem I. *Expoſitionem Honorii Super Cantica*, quae proſtat in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1153. At vero, dum Editio incipit: *Donum Sapientiæ cum Salomone poſcenti*, neque Abbatis, ad quem *Honorius* Expoſitionem *Libri David*, nempe *Pſalterii* miſerat, nomen exprimit, Codex noſter ita orditur: *Symoni Donum Sapientię cum ſalomone poſcenti honorius a uero pacifico poſtulata conſequi. Quia prędeceſſori tuo beatę memorię uenerando abbati Cbuononi librum dauid utcunque explanaui &c.* En *Cunonem* abbatem, cui *Simon* abbas ſucceſſit. *Cunones* in *Gallia* raros, frequentiores in *Germania* fuiſſe, uti *Conrados*, e quo nomine contracto *Cunones* orti ſunt, docet Hiſtoria. Quorſum iſtud? Ad aperiendam ſuſpicionem, nimis liberaliter hactenus in *Honorium* Presb. et Scholaſticum *Auguſtodunenſem* congeſtum fuiſſe, quidquid *Honorii* nomen praeferret, et *Honorium* illum, qui jam *Solitarius*, jam *Incluſus* inſcribitur, hominem potius *germanum* haberi debere. Nec moveat *Honorii Auguſtod.* Libellus IV. *de Luminarib. Eccl. c. ult.* in quo ipſe omnia Scripta, de quibus quaeri poſſit, ſibi adtribuit. Non enim Vir modeſtus *Opuſcula* ſua *non ſpernenda* adpellaſſet, neque adſeru-